Cartas de fernão cardoso e do chiado e duas eglogas hũa de dom Mel Portugal, e outras cousas de outros homens.

Aſſertiones
Dialecticæ.
Quæſtio.
Vtrũ numerus ſit ſpecies quantitatis?
Prima aſſertio.

DVm omnis actio ad motionẽ volũtatis ac ad regulã intellectus effecta praxis dicatur: ea in actionibꝰ quoq; intellectꝰ reperiet̃: Ex quo fit vt Dialectica ad aliquã praxim referatur, & inter ſciẽtias practicas numeretur: cũ vnam quãq; diſſerendi formulã ex primo inſtituto doceat mẽte fabricari. Vniuerſale eſt id, qđ in pluribꝰ ineſſe aptũ eſt: res autẽ ipſæ potius, quã nomina vniuerſalis rationẽ participãt: id tñ habẽt q̃dã bñficio intellectꝰ Agẽtis: alie vero cũ Patiẽtis ope á differẽtijs inferiorũ liberãtur.

2. aſſert.

¶ Vniuerſale quinq; infimas ſpẽs ſub ſe cõprehendit, quarũ naturas multis deſcriptionibꝰ per cõditiones quaſdã ſuorũ fundamẽtorum apté Porph. elucidauit. Porro nulla res ſi cũ alia æqué late patẽte cõparetur ſortiri põt notionẽ vniuerſalis, nec vlla cõmunior differẽtia de minꝰ cõmuni tanquã vniuerſale quidpiã affirmari poteſt.

3. aſſert.

¶ Æquiuoca, vniũoca, denominatiua, atq; id qđ in ſubiecto eſſe dr̃, cũ illis documentis, q̃ ad cõſtituendas decem Categorias vtilia ſunt rectè Ariſt. explicauit. Subſtãtia vero cũ in primã & ſecundã diſtribuitur, negationem quandã, hoc eſt, per ſe exiſtens, ſignificat. Quãtitas aũt ſolum præter tres dimenſiones, nullas alias ſpecies, quã motum, tempus, numerumq; complectitur.

4. aſſert.

¶ Relata ſunt quorũ eſſentia in eo poſita eſt, vt ad aliud referãtur in qua definitione ſola relata ſecundum eſſe realia cõprehẽdũtur. Qualitas autem in quatuor ſpecies proxime diuiditur, inter ſe re ipſa differentes, quas Ariſt. inſinuauit per quædã cõplexa, quæ ſolum accidentario diſcrimine (habitu & diſpoſitione exceptis) diſtinguũtur.

Segue a fl. 51

5.aſſert.

¶ Sex vltimæ Categoriæ formas quaſdam externas rebꝰ denominatis ſignificant, q̃ ſecũdũ ſuas eſſentias à rebꝰ cæterarũ Categoriarũ nõ neceſſario diſtinguũtur: Earũ vero attributa, rectè tradidit Ariſt. Oppoſitio autem ſimplex præter quatuor vulgata, quintum mẽbrũ neceſſario videt̃ cõprehẽdere, qđ diſparatã oppoſitionẽ appellemꝰ.

6.aſſert.

¶ Quæ de ordine ſignificandi inter ſcripta, voces, cõceptꝰq; docuit Ariſt. vera ſunt: perfectæ quoque definitiões Nominis, Verbi, Orationis, atq; Enũtiationũ: certiſſimę itẽ leges, quas Ariſt. Enũtiationibꝰ oppoſitis præſcripſit. Cũ aũt quã plurimę res cõtingẽtes ſint, neutra pars cõtradictionis, futurũ aliquid fortuitó ſignificans certò vera, aut certó falſa exiſtet.

7.aſert.

¶ Documenta, q̃ tradunt̃ pro cõuerſione tã propoſitionũ modis carentiũ, quã earũ, quæ vel neceſario vel poſſe aliquid cuippiã cõuenire ꝓnuntiãt, certa ſunt. Propoſitiones autẽ de cõtingenti ſecundo modo, q̃ vniuerſim negãt vel afirmãt, in partẽ, reliquę in ſe ipſas cõuertunt̃: De nõ cõtingẽti vero vniuerſales tũ ſimpliciter tũ in partẽ, particulares vero nullomodo ĩ alias rectè cõmutari poſſũt. Ad oppoſitã tñ q̃litatẽ vt ꝓpoſitiões de cõting. ſic etiã de nõ cõtin. cõuertunt̃.

8.aſſert.

¶ Oĩs doctrina, oĩsq; diſciplina intellectiua ex p̃cedẽte cognitione fit. Atq; vt eã hẽamꝰ q̃ demõſtratiõe cõparat̃, ſubiectũ, Paſſio, principiaq; priꝰ cognoſcẽda ſunt: o ordine vt ꝓpoſitio prius tempore: Aſſumptio vero ſimul cũ cõplexione percipiatur. Scire autẽ propter quid atq; demõſtratio exacte definita ſunt: cuius ſumptiones ſemper magis quam concluſiones cognoſcuntur.

9.aſert.

¶ Ad ſcientiam ſubalternãtem pertinet ſcire propter quid ad ſubalternatam vero qđ ſit. Omnes ũt ſcientiæ ab obiectis ſumunt ſuam vnitatẽ, diſtinctionẽq; ſpecificam: queadmodũ opinio ac ſciẽtia penes obiectum formaliter ſumptũ diſtinguitur. Actus autẽ ſciẽtiæ & opinionis & ſi in eodẽ ſubiecto ſimul eſſe nõ poſſunt, habitus tamẽ maxime. Adde rectè fuiſſe tradtã diuiſionẽ ſyllogiſmi probãtis, numerumq; prædicatorum, ꝓpoſitionũ ac quæſtionũ dialecticarum.

Quæſtioni reſpondet. 3. aſſertio.

Defendet. D. Fernandus Nartinz Maſcarenhas, præſide præceptore ſuo. M. Fernãdo Rebello, ſocietatis Ieſu. Eboræ die. 27. Martij. 1572.

Eas etiam præuidit ſapientiſſimus. D. Petrus Paulus Ferrer huius Eborenſis Academiæ Cãcellariꝰ.